

05

A

1144





I

E

I

V

∞





I. N. J.

# DEMONSTRATIO CATHOLICA, Ecclesiam Papistarum non esse

Apostolicam, ob calicem Domini, laicis communicantibus, contra præceptum Christi surreptum.

QUAM

Superiorum permissu.

P R Æ S I D E

*VIRO PL. Reverendo, Amplissimo, Excellentissimo,*

## DN. ABRAHAM CALOVIO, S.S. THEOL. D. ejusdemq;

Prof. Publ. longè Celeberrimo, Consistorii Ecclesiastici gravissimo Assessore, Ecclesiæ Pastore & Circuli Elector. Superintendente Generali.

Dn, Patrono ac Præceptore observanter colendo;

*publicè sistit*

*Responsurus*

A.

### SAMUEL Morgenbesser

Sora-Lufatus.

*In Auditorio Majori ad d. 21. Septemb.*



WITTEBERGÆ,

EXCUDEBAT JOHANNES HAKE, M DC LIII.





DEMONTIA  
TIO CATHOLICA

Eccliam Papistam non esse  
Apostolicam, ob eadem Domini, laici communis  
bus, contra preceptum Christi scriptum.



05 A 1944

SAMUEL MARGARET  
In theorie der Naturwissenschaften  
WITENBERG  
EXCERPT FOR THE YEAR M. DC. LXX





I. N. J.

Si non alius foret error, ex quo de lapsu Ecclesiae papistarum gravissimo nobis constaret, aut unde falsitatem ejus aestimare liceret: Subtractio profectò calicis, Christi; cum eodem sanguinis exhibendi, sufficientissimè nos instrueret. Nam quis sanæ mentis, persuaderi sibi patietur, illam Ecclesiam esse veritatis columnam, sponsam Christi subjectissimam, quæ veritatem ejus opprimit, in nullisq; segnior est, quam in jussis sponsi sui exequendis? Et quid ni valeret, de Pontificiorum, quod de nostra laborant ostendere Ecclesia? Quæcunq; circa S. Cænam gravissimum errat errorem, illa est falsa, illa non est Christi Sponsa: utpote cujus est indissolubili Christo adhærere nexu. Quæ verò contra præceptum Christi, Laicis communicantibus, calicem benedicti cruoris subtrahit, illa circa sacram Cænam gravissimum errat errorem. Quod cum de Pontificiorum, verum esse demonstravero, quis mihi succenserit si conclusero: Ecclesiam Papistarum esse falsam, non Christi sponsam, cujus commercium omnis, qui suæ consulere benè cupit salutis, vitare tenetur. His præmissis progredior ad id, quod caput rei est, de quo inter nos & adversarios disquiritur. Non disputatur, quod omnibus hominibus indifferenter, Ethnicis, Turcis hoc Sacramentum ex præcepto Christi sit dandum: *neq; asserimus, ex præcepto Dei a. necessitate salutis omnes & singulos Christi fideles, utraq; speciem sanctissimi Euaharistia Sacramenti, sumere debere.* Nullum enim in universo codice sacro, reperimus mandatum, quo sub dispendio salutis aut necessitate absoluta, sumptio Euaharistia omnibus Christi fidelibus, infantibus etiam præcepta sit. Quam tamen sententiam nobis affingere voluit Concil. Trident. sess. 21. can. 1. & cum eodem Kedd. Erklärung / des allelein/Seligmachenden/ Röm. Cathol Glaubens p. 90. Darumb ist nicht nötig/das alle und jede Christen beyde gestatten empfangen/ Weil Christus auch solches nicht allen Christen zu thun befohlen hat.



hat. An. 52. in 12. quam calumniam pleriq; repetunt ad illa Christi: bibite ex hoc omnes. Bec. Man: l. l. c. 9. Cotur. Epit. Cont. p. 134. &c. dicimus tamen in sumptione Eucharistiæ necessitatem quandam hypotheticam s. suppositionis aut modi esse: nempe quodocunq; sumitur, ut tunc juxta tenorem divini mandati sumatur. Hanc sumptionem dicimus esse necessariam ad salutem, non positivè, quasi sine ea salus consistere nequeat, sed negativè, quia cum sumptione mandato divino contraria si scienter & pertinaciter fiat salus nequit consistere. *Status* autem *Controversiæ* is est: An utraq; species à Christo præcepta sit, ut omnibus communicantibus deur & ab iis accipiatur. Contra Concil. Trid. sess. 21. cap. 1. definitionem: *Quod nullo divino præcepto laici & clerici non conficientes obligentur ad Eucharistiæ sacramentum, sub utraq; specie sumendum.* Et Colloq. Thorun. An. 45. propositionem Catholic. *ut hoc sacramentum sub utraq; specie sumatur Christus non præcepit.* V. Act. Varlav. edita. Ut autem nervus rationum nostrarum eo melius appareat, omnes quantum poterimus certis syllogismorum formis inclusas dabimus. Quod benè ut fiat precamur Jesum. Esto

1. Arg: Cuicumq; speciei verba Christi *hoc facite* adjunguntur, illa species est à Christo præcepta, ut omnibus communicantibus distribuatur. Sed utriq; speciei verba Christi *hoc facite* adjunguntur. E. utraq; species est à Christo præcepta, ut omnibus communicantibus distribuatur. S. Probatur Con. Maj.

Cuicumq; speciei verba mandati apponuntur, illa species est præcepta. Sed cuicumque speciei verba Christi, *hoc facite*, adjunguntur, illi speciei verba mandati apponuntur. E. cuicumq; speciei verba Christi *hoc facite* adjunguntur, illa species est à Christo præcepta. Maj: prosyll. Verba enim imperandi inferunt præceptum, sin minus verba imperatoria non sunt, quod vulgo notum. Min: prosyll. (1.) quia *hoc facite* sunt verba imperatoria. (2) Testimoniis Pontificiorum. Concil. Trid. sess. 22. cap. 1. *Dominus noster corpus & sanguinem suum, sub speciebus panis & vini DEO patri obtulit, ac sub earundem rerum symbolis: Apostolis, quos tunc N. T. sacerdotes constituebat, ut sumerent tradidit, & iisdem eorumq; in sacerdotio successoribus ut offerrent præcepit,*  
per



per hæc verba: *hoc facite in meam commemorationem.* Bellarm. de  
missa l. 1. cap. 12. Becan. man. l. 1. c. 10. p. 317. Kedd. in Erklärung des  
Röm. Cathol. Glaub. Artikel. 42. & quis non, quicumq; missam  
à Christo volunt esse præceptam. Argumentor: Quibus verbis  
Dominus suum corpus & sanguinem offerre præcepit, in illis  
verbis mandatum serit. Atqui his *hoc facite*, Dominus suum  
corpus & sanguinem offerre præcepit. E. in his verbis, *hoc facite*  
mandatum erit. Hoc contra Eberman: Jesuitam Mogunt. qui  
objicienti Calixto, quod Dominicus Soto in quartum. Dist. 12.  
q. 1. art. 12. & Gabriel Vasquez. Disput. 213. in 3. Thomæ &c. urgeant  
in his verbis præceptum, respondet in Anatom: *verum est istos*  
*DD. & quam plurimos ex illis verbis hoc facite præceptum deduce-*  
*re, sed non nisi probabiliter.* Ita scilicet non nisi probabiliter ex  
inde norunt missam esse celebrandam, nos ne quidem probabi-  
liter sed nullo modo inde probari. II. §. Probatum Maj. II. ex in-  
terpretatione & sensu verborum *hoc facite.* (1) Quæ sese referunt  
ad actus sacramentales antecedaneos: in illis verò de benedicti-  
one, distributione acceptione docetur. Vid. Excell. D. Præsi-  
dis, Præceptoris Venerandi. Matæol. Papist. col. 385. Quia pro-  
nomen *hoc* casus quarti, earum rerum complexum habet, quæ  
partim præcesserunt & quæ disertè exprimuntur, nempe man-  
dicationis panis & bibitionis vini, partim secuta sunt, videli-  
cet commemorationis Christi uti patet è dictis similibus. Luc.  
10. 28. c. 12. 17. Hutter. in Triumpho de regno Pontif. p. 246. Ut re-  
- & faciant, qui hoc mandatum universaliter cum B. Meisn. Phil.  
S. p. 2. p. 726. exponunt & de *δόσεις* & de *λήψεις*, scilicet Apostolos  
utramq; speciem omnibus debere distribuere & utramq; omnes  
debere accipere. (2) Nec dissentiunt hic adversarij. Schlercowki  
in Tract. Trincket alle daraus. dicit. p. 63. *Das thut zu mei-*  
*ner Gedächtnis / das ist wie es die H. Lehrer auslegen: Das*  
*segnet / Das opffert / das nehmet / das theilet aus: Dieses al-*  
*les wird begriffen in dem Wort (das thut).* Cajetan: opusc.  
Tom. 3. Tract. 10 c. 3. *Ad intelligendum, inquit, demonstratum, per*  
*pronomen Hoc, inspicienda sunt que præmittuntur. Præmittitur*  
*autem quod Jesus accepit panem, gratias egit, fregit dedit, dixit:*  
*accipite, comedite hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur,*  
*vel*

S. 24



*vel secundum Lucam datur: Statimq; subjunxit: Hoc facite in me-  
 am commemorationem.* Pronomen itaq; *Hoc* cum non arctetur  
 ad demonstrandum aliquid præmissorum, consequens est, ut de-  
 monstrat universitatem præmissorum. Quæ explicatio nec  
 Bellarm. displicet e 25. l. 4. dicenti: *Videtur sententia Johannis à  
 Lovanio valde probabilis, qui docet, verba Domini ap. Lucam ad  
 omnia referri, ad id quod fecit Christus, & id quod  
 egerint Apostoli, ut sensus sit, id quod nunc agimus,  
 ego dum consecro & porrigo, & vos dum accipitis & come-  
 ditis, frequentate deinceps usq; ad mundi consummationem.* Cotu-  
 rius Epit. Cont. Dem. 8. p. 166. *Licet Christus dixerit hoc facite ju-  
 bendo eos comedere & bibere - nam per verba hoc facite, jubet eos  
 hoc facere in sui commemorationem.* Unde Pontificii in Festo  
 Corp. Christi canunt. *Quod in cæna Christus gessit, faciendum  
 hoc expresse in sui memoriam.* Atqui Christus communicanti-  
 bus dedit & panem & vinum. E. idem Pontificiis faciendum.  
 §. 3. *Clariora paulò sunt Bell. l. 4. c. 25. Lucas, inquit, illud hoc facite  
 post datum sacramentum sub specie panis posuit, post datum vero  
 calicem non repetivit (attamen Christus 1. Cor. 11. 25.) ut intellige-  
 remus, jussisse Dominum, ut sub specie panis omnibus distribuere-  
 tur sacramentum &c. Et l. 4. c. 25. de Euch. Christus &  
 si laicis non dedit contra Majer: Christus speciem panis ex-  
 hibuit Apostolis ut laicis cont. 2. c. 15. p. 115.) non tamen prohibuit  
 dari: & alibi jussit etiam cum dicit: Hoc facite.* Agnoscit Er-  
 go Cardinalis consequentiam procedere: dum per hanc verbo-  
 rum formulam, Christum omnibus panem benedictum distri-  
 bui jussisse, fatetur. Cur? quia speciei panis ap. Lucam hoc  
 præceptum adjicitur. Ego subsumo. Atqui speciei vini præ-  
 ceptum hac apponitur à Papistis. E. & speciem vini jussit om-  
 nibus communicantibus dari, quod in seqq. de ducam. §.  
 §. 4. *Probat Min. princip. Syll. I. Ad quam speciem mandatum  
 Christi hoc facite à Pontificiis refertur, ad illam utiq; pertinebit  
 (ex hypoth.) Atqui ad speciem & vini & panis mandatum Chri-  
 sti hoc facite à Pontificiis refertur. E. ad speciem & vini & panis  
 utiq; pertinebit. Min. prob. verbis Concil. Trident. sess. 22. cap.  
 1. §. 1. citatis. Et illorum deniq; qui illud præceptum Lucæ æq;  
 ad calicis consecrationem, oblationem referunt, ac panis, licet  
 à Luca*



à Luca post calicem non legerint repetitum. Arg: Quod præceptum Christus de calice benedicendo, offerendo dedit, illud ad calicem utiq; pertinebit. Atqui *hoc facite* ap. Lucam est illud præceptum, quod Christus de calice benedicendo, offerendo dedit. *hac facite* apud Lucam ad calicem utiq; pertinebit. Maj. clara est. Min: quæ jam probata, patet insuper ex testimonio Jacobi Fabri Molin: Theol. Sorbonistæ, advers. Anat. Missæ. fol. 38. *Si curiosus percunctetur quis, ubi nam locorum scriptum sit, missam celebrari debere: ap. Lucam respondebo. Hoc facite in meam memoriam. Quod cedo mandavit Christus, nimirum, quod fecerat. Quod verò omninò Christus egit? nempe accepit panem, gratias egit, benedixit fregit, deditq; discipulis dicens accipite & manducate. Hoc est corpus meum, accipite & bibite hic est sanguis meus.* Hinc colligo: Quibus verbis Christus jussit dari laicis panem consecratum, illis quoq; præcepit dari calicem Domini. Atqui his verbis *hoc facite*, Christus jussit dari laicis panem consecratum. E. his verbis *hoc facite*, præcepit quoque dari calicem Domini. Maj: quia ad utramq; speciem refertur. Min. est Bellarmini. §. 3. §. Occurrent hic fortè cum Heisio in recog. volum: Aeth. art. 18. §. 9. *Nec ex N.T. in quo de hoc sacramento agitur, ullum præceptum, utriusq; speciei, extra sacrificium sumenda dari.* Quibus procul dubio innuit, adesse quidem præceptum de utraq; specie sumenda, in his verbis *hoc facite*, sed respicere solos sacrificulos, quod seqq. probare vult, dum dicit: *hec verba S. Patres rectissimè de sacrificio corporis & sanguinis Christi exposuerunt; & Apostolis tanquam sacerdotibus mandatum esse voluerunt: Hoc offerte in meam commemorationem.* Sic quoq; Bailius in Catech. Cont. 12. p. 142. dicit: *præceptum communicandi sub bina specie panis & vini solos obligat sacerdotes designatos - Dei filius in institutione hujus sacrificii ordinando Apostolos in sacerdotes: dicit sumite corpus meum & sanguinem meum.* Ubi primò Jesuitæ principium petunt, supponentes diversitatem obligationis inter missifices & reliquos Eucharistiæ convivas, quæ itidem merum commentum est. Si enim uspiam extat obligatio quæ consecrantes adigit, ad utramq; speciem sumendâ, pari ratione omnes, quicumq; de pane Eucharistico sumunt,

ad

S. 5.



§. 6.

ad calicis quoq; sumptionem astringet, vel obligatio nulla erit. Deinde Apostolis ut sacerdotibus dum hoc dictum affirmant. Cujus contrarium probabo arg. 2 §. 17. §. Patrum autem sententias de sacrificio precum, laudis & gratiarum actionis vel etiam de Christi in cruce oblato, loquentium ad missam detorquendo. Consule B. Chem. Exam. C. T. de Mis. quo sensu Veteres Lyturgiã appellarint sacrificium. Vellem autem ut tandem Jesuitæ ostenderent, ex institutione hujus ritus, servatorem sacrificasse, atq; ut idem discipuli facerent præcepisse. Ludunt profectò in re seria dum *το ποιεῖτε* exponunt per *το* offerte s. sacrificate, unum unicum optarem, ut adducerent ex toto N. T. locum, qui hoc vel leviter saltem svaderet, non enim quæritur, an *verbum facite* ap. Latinos a. Hebræos pro subjecta interdum materia inferat quod volunt, de verbis institutionis lis est. Cajetan: certe Tom. 3. opusc. Tr. 10. c. 3. Alphons. à Castro in Voce Missa. Estius in 1. Cor. 11. negat, *verbum facere idem esse quod sacrificare, idq; planè præter mentem. S. Scriptura sic explicari probat, quia in verbis quotiescunq; hoc feceritis in mei commemorationem feceritis, non nisi coactè pro sacrificare exponi potest.* Unde Archiepisc. Granatenis in Conc. Trid. ap. Petrum Suavem p. 617. negavit, Christum his verbis instituisse sacrificium, hoc facite in mei commemorationem. V. Amplissimi. D. Præs. Mataeol. col. 787. §. Probatur I L. Min. Syll. princ. testimonio Pauli. 1. Cor. 24. 25. qui mandatum *hoc facite*, etiam post calicem laicis Corinthiis distributum repetivit. Ut proinde Justinian. Comm. h. l. non negavit, posse fortassis quempiam ex h. l. argumentari utramq; Eucharistia speciem laicis tribuendam esse. Et res ipsa docet, cum hæc æq; sint Christi atque illa ap. Lucam. 22. 20. Cujus enim sunt verba: Hoc poculum est N. T. in meo sanguine, illius, quoque sunt hoc facite quotiescunque bibetis. At illa sunt ipsius Christi. E. & hæc, ob immediatam connexionem. Deinde in cujus memoriam calicem benedictum bibere debemus, illius est præceptum hoc facite, quotiescunque biberitis. Sed in memoriam Christi calicem benedictum bibere debemus. E. Itaque non opuserat, Coturio ut in verbis *hoc facite* nullum esse præceptum Pauli, ostenderet. Epit. Cont. cap 5. Dem. 5. p. 137. cum id ultro pateat,

§. 7.

§. 7. Probatur I L. Min. Syll. princ. testimonio Pauli. 1. Cor. 24. 25. qui mandatum *hoc facite*, etiam post calicem laicis Corinthiis distributum repetivit. Ut proinde Justinian. Comm. h. l. non negavit, posse fortassis quempiam ex h. l. argumentari utramq; Eucharistia speciem laicis tribuendam esse. Et res ipsa docet, cum hæc æq; sint Christi atque illa ap. Lucam. 22. 20. Cujus enim sunt verba: Hoc poculum est N. T. in meo sanguine, illius, quoque sunt hoc facite quotiescunque bibetis. At illa sunt ipsius Christi. E. & hæc, ob immediatam connexionem. Deinde in cujus memoriam calicem benedictum bibere debemus, illius est præceptum hoc facite, quotiescunque biberitis. Sed in memoriam Christi calicem benedictum bibere debemus. E. Itaque non opuserat, Coturio ut in verbis *hoc facite* nullum esse præceptum Pauli, ostenderet. Epit. Cont. cap 5. Dem. 5. p. 137. cum id ultro pateat,



pateat, quod Christi præceptum sit. §. Nihilominus dicit ibid. cum Becan: man. l. 1. c. 9. p. 283. Majer: Cont. 2. c. 7. p. 134. Razenriedt in offa Triplici. resp. 4. p. 84. *Paulum quidem etiam hoc præceptum post speciem vini ponere, sed cum limitatione libertatis.* R. (1) Quotiescunq; non notat conditionem autem restrictionem, teste etiam Bell. l. 4. c. 10. de his verbis: *Non restringit, inquit, Apostolus, sed exemplum ponit in una actione, quod etiam facere potuisset, de aliis duabus.* Et rectè quia est tantum nota temporis, hoc & in seq. v. saltem occurrens: tempus annūciandi mortem Domini conjungens cum tempore sumptæ Eucharistiæ, non limitat calicis sumptionem ad hominis voluntatem & arbitrium, ut sumpto pane possint calicem non sumere, si velint; quia de libertate omittendi aut adhibendi alterius speciei nil quicquam Paulus dicere præsumferat. Nec dicit quotiescunq; volueritis sumere autem vobis placuerit: sed exequat tempus commemorandi mortē Domini, tempori sumpti calicis: quod in sequentibus docet: quotiescunq; enim manducabitis panem hunc—Unde etiam Vasquez. Disp. 213. in 3. part. Sum. c. 2. dicit: *præcepit Christus illis verbis (1. Cor. 11. 25.) sicut interpretatur Concil. Trid. ut ipsa sumptione commemoremus passionem ejus, & esse non tantum, ut quoties illud sumeremus, passionem ipsius, in memoriam revocaremus: ac proinde præcepit; ut sumeremus: nam qui præcipit ut opere aliquo commemoratio fiat alicujus beneficii accepti, ex modo ipso præcipiendi præcipit etiam ut fiat opus ipsum* §. Hinc in Conone Missæ per omnia à Conc. Trident. approbato. sess. 6. c. 6. hæc verba utriq; speciei subjunguntur, quando missifex prolatis consecrationis verbis dicit: *Hæc quotiescunq; feceritis, in mei memoriam facietis.* Qui mentem Christi aut assecutus est aut non. Si assecutus est, stat nostra expositio, sin minus cur per omnia approbatur? Huc pertinet, quod Svarez. habet. Tom 3. in Tertiam Disp. 71. sect. 2. *Verba hoc facite simpliciter dicta vel cum illo addito scilicet in meam commemorationem; aut cum illa conditione. Quotiescunq; sumitis; ad eundem sensum referuntur ut significat Ecclesia, quæ in canone solum post utriusq; speciei consecrationem refert illa verba. Hæc quotiescunq; feceritis in mei memoriam facietis. Nullum E. mysterium latet in illa diver-*  
B *sitate*

§. 8.

§. 9.



S. 10.

sitate verborum Pauli, ut propterea conseatur magis determinatè  
precepta una species quam alia. S. (2) & si hæc nota temporis  
liberam permetteret calicis omissionem, colligerem pariter de  
pane: Cuicumq; speciei illa restrictio quotiescunq; additur, illa  
species tolli l. omitti potest. Atqui speciei panis &c: E. & spe-  
cies panis tolli l. omitti potest. Quæ conclusio licet ap-  
probetur à Bellarm. contra tamen Côturium est: c. l. qui dicit,  
frin verbis Christi (ap. Lucam) præceptum esset, sequeretur tantum  
panis, non autem speciem vini sumendam esse. & Majerum. c. l. si ista  
verba: Hoc facite vim præcipiendi habent, tum consecrationem,  
tum exhibitionem sacramenti huius: convincitur aper-  
te: solam speciem panis esse absolutè præceptam - Demonstra-  
tum autem est, in verbis Christi ap. Lucam præceptum esse. (3)  
sequeretur neq; speciem vini absolutè esse præceptam ut conse-  
cretur, offeratur, distribuatur, si verum est, quod dixerunt de  
tò quotiescunq; probo: Cuic. speciei illa restrictio additur, illa  
non est absolutè præcepta, ut consecretur, offeratur. Atqui  
speciei vini illa restrictio additur. E. Maj. est Jesuitarum. Min.  
v. 26. Hoc absurdum prævidens Dominicus Soto in 4. sent.  
dist. 1. q. 1. art. 12. dicit: Non est negandum esse præceptum (in his  
Pauli quotiescunq;) alio qui non haberemus præcepti fundamen-  
tum in Eucharistia. S. (4) Absolum hoc inferretur, Apostolis  
non fuisse absolute præceptam calicis sumptionem: Quibus e-  
nim in S. Coena dictum est bibite, illis quoq; dictum est hoc fa-  
cite, quotiescunq; bibetis. Atqui Apostolis (sacerdotibus ju-  
xta Pontif.) in S. Coena dictum est bibite. E. Apostolis [sacer-  
dotibus] dictum est hoc facite quotiescunq; bibetis. Unde  
perinde fuisset sive Apostoli biberint nec ne. (6) Nec sacrificuli  
ullum haberent præceptum de calice consecrando, sumendo, si  
hoc apud Paulum non habent: Postquam enim speciem verba  
Lucæ 22. non repetuntur, illa species non est præcepta ut suma-  
tur [consecretur]. Atqui post speciem calicis verba Lucæ non  
repetuntur. E. Maj. est Becani. Man. l. 1. c. 9. p. 282. Nam Lucas &  
Paulus ponit illa post sumptionem (consecrationem) panis non a.  
post sumptionem calicis. E. ex illis non potest colligi præceptum de  
sumptione (consecratione) calicis. Quod autem par sit neces-  
sitas

S. 11.



sitas consecrationis & sumptionis, inde constat, quod Christus  
utramq; conjunctim institutam præceperit per *hoc facite*. Adde  
illud præceptum Lucæ non potest referri ad calicis sumptio-  
nem si vera sunt quæ Bell. l. 4. de Euch. c. 25. & ex eod. Maier. cont.  
2. cap. 4. habet: *Vnam speciem ab alterius institutione ( consecrati-  
one exhibitione ] sejunxit Christus: panis quidem instituit, ce-  
nantibus illis i.e. initio cene, calicem vero instituit, postquam jam  
cenatum erat. §. Ubi distinguere debuisset communem cœnam  
de qua Paulus & Lucas loquuntur à Cœna sacra. Argumento  
ex hyp. Quæ species tum nondum erat instituta &c: cum  
Christus hoc præceptum daret, illam speciem consecrare hoc  
præcepto non iussit. Atqui calicis-E. Deinde sequeretur hoc  
absurdum, quod bis mandasset calicem consecrare, semel ab-  
solutè apud Lucam semel limitate apud Paulum-26. Imò ipse  
Apostata Pistorius negat, illa verba facere ad utriusq; speciei man-  
datum. Quia Lucas illa ponit, ante usum calicis, unde ad ca-  
licem referri non debent. In Hodog. Sed sibi & sociis contra-  
dicit, dum eadem ad utriusq; speciei oblationem in seqq. refert  
v. Menz Disp. Anti- Pistor: Nunc ita concludo hoc argumentū.  
Quod Christus in Eucharistia fecit, illud per *hoc facite* præ-  
cepit. Atqui calicis porrectio omnibus communicantibus  
est id, quod Christus in Eucharistia fecit. E. calicis porre-  
ctionem omnibus communicantibus per *hoc facite* præcepit.  
II. Argum: Quicquid præceptum est discipulis Christi, quæ cõ-  
municantibus, illud quoq; præceptum est illorum in communi-  
cando successoribus. Atqui edere panem benedictum & bibe-  
re calicem Novi Testamenti præceptum est Apostolis qua com-  
municantibus. E. edere panem benedictum & bibere calicem  
Novi Testamenti præceptum est quoq; illorum in comunicã-  
do successoribus. Sed laici cœnam S. accedentes sunt illorum  
in cõmunicando successores. E. laicis Cœnã S. accedentibus, præ-  
ceptum est edere panem benedictum & bibere calicem N. T. §. Maj. I.  
probat ex regula Logic: A quatenus ad de omni V.C.  
2. inductione actionum Apostolis qua communicantibus Chri-  
stianis, aut pastoribus docentibus præceptarum. His enim  
B 2 modis*

§. 12.

II. Arg:

§. 13.



modis in scriptura solent considerari. (1) vel ratione Apostolatus quatenus constituti sunt à Christo immediatè, totius Ecclesie Doctores, non uni particulari Ecclesie sive uni loco alligati, sed in universum mundum emissi Matth. 28. 19. Gal. 1. 16. (2) vel ratione ministerii & potestatis Ecclesiasticæ à Christo collatæ, quatenus non spectantur ut Apostoli immediatè à Deo vocati, sed ut Ecclesie ministri, ita ut quæcunq; juxta hunc respectum ipsis dicuntur, aliis etiam ministris legitimè vocatis communia esse intelligantur quo refertur illud Matth. 18. 16. (3) Ratione singularis circumstantiæ personas ipsorum seorsim concernentes, ita ut quæ juxta horum respectum ipsis sint dicta, Solis dicta æstimentur. Matth. 14. 16. 18. c. 21. 2. c. 26. 18. Joh. 21. 6. 10. (4) Ratione Christianismi, quatenus Ecclesie membra fuerunt, & quidem circa certos Christianismi ritus occupati, hoc respectu, quæcunq; observanda ipsis sunt præscripta, omnibus præcepta censeantur, quando eorum vices subeunt. Matth. 18. 16. 22. quem respectum hic attendimus. Quorsum pertinet illud. Marc. 13. 37. III.

§. 14.

§. Probatur ex hypoth. aduersariorum, qua putant missifices ideò ad conficiendum hoc sacramentum & utriusq; speciæ summptionem se obligatos, quod ipsis ut discipulorum in sacerdotio successoribus præceptum sit, per hoc facite. Concil. Trid. sess. 22. cap. 1. Ideò moderni Lojola successorès Jesuitæ ad fundatoris sui regulas obligantur, non quia immediatè à Francisco illas accepere sed quia ejus successorès sunt. v. Reg. S. J. Imò falsò crederent ( ut credunt ) illud Joh. 21. 16. 17. 18. ad Petri in universali pastura successorès præfules Romanos pertinere, si non quod diximus procederet, quando arguantur: quod præceptum est Petro, quæ pastori Ecclesie supremo illud quoque pertinet ad ejus in pastura successorès, ut inde Papæ inferant primatum, quæ consequentia si proba est, de re non loquor, cur non hic, cū veritas sibi ubiq; constet? v. Bec. man. l. 1. c. 4. p. 103. §. Min. prob. quod edere panem benedictum & bibere poculum N. T. præceptum sit Apostolis qua communicantibus Matth. 26. 27. 1. Cor. 11. 24. quæ verba edite bibite, ubicunq; in N. T. codice in hoc occurrunt modo, mandantis, non iuvitantis sunt, nisi hic dicere velis.

§. 15.



velis, Apostolos licet à Domino iussos à panis tamen porrecti  
comestione, viniq; consecrati bibitione absq; peccato abstinere  
potuisse, ubi enim, non lex est ibi nec legis prævaricatio. De-  
inde verba imperativæ *διαβέστω* in institutionibus occurren-  
tia vim habere solent præcepti. Exod. 12. 14. Matth. 28. 19. ite, do-  
cete. Sic in civilibus legatis. Ulpian. Tit. 25. de legat. Lega-  
tum est, inquit, quod legis modo, id est, imperativè relinqui-  
tur. Sed corpus & sanguis Christi sunt legata. E. Addo,  
ipse Petrus à Soto de Instruct: sacerdot. lect. 8. de Sacr: Euch: dicit  
*proprius usus hujus sacramenti est ipsa sumptio. Hanc enim Chri-  
stus in ejus institutione præcepit: accipite & manducate, accipite &  
bibite. Ita Coturio. c. l. p. 165. quando dixit Christus accipite &  
comedite, bibite illud, quod iussit eos accipere, comedere & bibere  
l. fuit ipsius corpus l. non fuit.* Arg. Quibus verbis præcepit Chri-  
stus accipere comedere & bibere, in illis verbis fuit præceptum.  
Atqui his verbis accipite, edite bibite, præcepit Christus acci-  
pere &c. E. in his verbis edite bibite fuit præceptum. Hoc op-  
ponimus. Jesuitis Razenriedt, cont: Lœlium, ad 1. fund. resp. 2.  
p. 87. & Majero Cont. 2. c. 8. p. 138. negantibus esse verba imperato-  
ria edite, bibite sed invitatoria, *quo alias non præcipiendo sed in-  
vitando amicis dicimus edite bibite.* Quasi verò sufficeret dixisse  
solum non etiam probasse: Imò in profanis sæpe conviviiis  
illa non semper ut invitatoria adhibentur vide. 1. Cor. 10. 25. 27.  
multò minus hic, ubi de ritu omnibus observando & necessa-  
rio agitur, qualis erat comestio agni paschalis. Exod. 12. 11. §.  
Instat Heissius in recog. Volum. Acath. art. 19. §. 10. *Seculsa dicens  
Ecclesiastica interpretatione non constare, de absolutis imperan-  
di modis, cum verè mandatum l. monitum ac consilium l. meram o-  
perandi licentiam significant.* R. hoc gratis asseritur. Ex  
scriptura & legitimis hanc interpretandi mediis, antecedentiũ  
& consequentium collatione constat, quid Christus per præce-  
ptum insinuarit quid non. Alias neq; certo niteretur funda-  
mento vel ipsa Ecclesiastica interpretatio, si hæc quæ dixi sepo-  
nantur media, immediatam enim cum Papa expositionem nõ  
expectamus. Deinde nonnè constabat fidelibus an ipsis bene-

§. 16.

B 3

ficen-



§. 17.

ficentiam imperaret aut bona opera. Matth. 5. 44. c. 7. 12. c. 23. Nonne communis & naturalis intelligendi ratio suggerebat ministris, an ipsis præciperet. Joh. 2. 7. 8. Imò neq; Apostolis constitisset de absolutis imperandi verbis Christi si effatum Jesuitæ obtineret. Matth. 26. 18. c. 28. ite prædicare. Annè incerti erant, quia Ecclesiastica interpretatione carebant? Non opinor. II. §. Quà communicantibus, hoc patet: quia edere panem Domini & bibere poculum N. T. actiones sunt communicantium ut ita loquar formales, quibus ab aliis distinguuntur. Arg: Quicumq; corpus Christi in S. Cœna manducarunt, & sanguinè testamenti biberunt, illi fuerunt cõmunicantes. Atqui discipuli in S. Cœna manducarunt & biberunt &c. E. discipuli fuerunt cõmunicantes. Maj. 1. Cor. 11. 27. clara est è descriptione communicantiũ ab Apostolo tradita. Min: Matth. 26. 27. Marc. 14. 13. Ad alia communicantium attributa, an quis Consul, præco, sive Sacerdos sit, non attenditur, quando sacri fiunt hospites. Sic Maldonat. ad cap. 26. Matth. num. 85. *Duodecim ait qui aderant Apostoli, omnes Ecclesia, cum quâ foedus Christus inibat personam representabant.* III. bibere calicem Domini, non est actio sacerdotalis, ut talis (alias laici Corinthii & priorum seculorum, eo ipso dum calicem bibissent, fuissent sacerdotes) cum hujus juxta illos sit facere (scilicet) i. e. offerre corpus & sanguinem Domini. Hoc a, fieri potest, si credendum est Jesuitis, licet nec panis, nec poculum sumatur, *quia sumptio (bibitio) non est de essentia Sacramenti.* Cotur. Dem. 7. c. 7. p. 165. & *tantum de integritate non de essentia sacrificii.* Majer. Cor. 2. c. 5. p. 116. in marg. Argum. Quorum officium discipuli representabant, illorum personas sustinebant. Atqui (non ministrantium sed) communicantium officium representabant. E. (non ministrantium sed) communicantium personas sustinebant. Maj. apud omnes in confesso est. Min: quia Christus immediate benedixit, distribuit hoc sacramentum. §. Nec proficient si dixerint, dictum hoc ipsis esse ut jam ad sacerdotium destinatis, id ipsum enim est quod negamus, cum nusquam *to w oieiv* absolute positum pro ritu sacrificandi capiatur, & contrarium ex modo dictis constat. Ponamus tamen, licet falsissimum, Apostolos hausisse poculum jam promotos in sacerdotes,

§. 18.



dotes, nullum tamen foret discrimen inter hos & alios commu-  
nicantes. probo: Quod dictum est Apostolis quâ sacerdotibus  
non conficientibus, illud quoq; dictum est eorum in sacerdo-  
tio successoribus. Atqui *τὸ* bibite &c. E. Maj. concedit Razen-  
riedt. c. l. q. 83. *ad neminem pertinent hæc verba, quam ad Apostolos  
eorumq; successores.* Min. quia immediate Christus hoc sacramē-  
tum confecit. Ergo. Qui sunt Apostolorum in sacerdotio suc-  
cessores, illis dictum est bibite & ad illos hoc pertinet. Quidam  
clerici non conficientes sunt Apostolorum in sacerdotio suc-  
cessores. E. quibusdam clericis non conficientibus dictum est  
*τὸ* bibite ad illosq; pertinet. Unde divino aliquo præcepto cle-  
rici non conficientes, ad utramq; speciē forent obligati, Contra  
Concil. Trid. sess. 21. c. 1. definitionē, & modernam papistarū pra-  
xin, quâ pares laicis in sumenda Eucharistia faciunt, & æq; atq;  
hos calice privant. Heisius. c. l. §. 3. Deinde non licuisset laicis  
Corinthiis absq; grandi sacrilegio poculum N. T. bibere, quia  
non suam, sed quod ex voluntate testatoris ultimâ solos respe-  
xisset sacerdotes, præripuissent partem. Hinc falso titulo su-  
terioris avi fideles binas usurpassent species, quia legatas ad se  
pertinere putarunt, quæ tamen juxta Pontif. non fuerūt. Et quâ  
quæso conscientia ante duo secula Bohemis concessit usum ca-  
licis Concilium Basileense & superiori seculo Germanis Paulus  
III & Pius IV. ut ex Com. Seleid: l. 25. Thuani l. 6. constat, si calix  
Solis missificis institutus esset? Peccassent sanè in eo, si ullo mo-  
do Laicis usum ejus concesserint. Itaque colligo: Iisdem di-  
ctum est bibite quibus dictum est edite. Atqui Apostolis sacer-  
dotibus non dictum est edite. E. Apostolis sacerdotibus non di-  
ctum est bibite. Maj. quia alii hospites non acceperunt panem,  
alii vero poculum. Matth. 26. 26. Min: est papistarum, Apostolos  
ut laicos speciem panis accepisse docentium. §. IV. Neq; *τὸ* bi-  
bite præceptum est Apostolis, qua talibus. probo: S. 196  
Quicquid dixit Servator Apostolis qua talibus, illud ad  
neminem spectat nisi sit Apostolus immediate à Deo  
vocatus. Atqui missifici non sunt Apostoli immediate à Deo  
vocati. E. Minor facilis est probatu. Matth. 28. 19. Gal. 1. 7. 12. de Ma-  
jore nemo dubitat. præterea, si Christus allocutus est Apostolos

ut



ut tales & ipsi huic mandato satisfecerunt, juxta Jesuitarum ex Marc. 14. illationem, sequitur etiam illud hoc facite ad Apostolos esse coarctandum. Arg: Quibus dictum est, bibite iisdem, & non alijs dictum est hoc facite. At solis Apostolis. E. quis igitur jussit Pontificios sacrificare? unde in fero III. Argum. Quicquid Christus præcepit omnibus communicantibus, illud ab iis observandum est. Atqui bibere ex poculo benedicto, Christus præcepit omnibus comunicantibus. E. bibere ex poculo benedicto ab iis observandum est. Majorè affirmat Christiani. Matth. 17. 5. §. Minor. Matth. 26. *bibite ex hoc omnes*, qui scilicet jam adestis communicantes, qui participastis de sacro pane, qui erant discipuli, ad quos immediate quidem, at non tantum illa verba pertinebant, sed mediata ad omnes Apostolorum in communicando successores. Hinc Apostoli mandato Christi juxta Marc. 14. 22. satisfecerunt, sed pro illo tempore, non pro omni. Quia ibidem omnes etiam de pane comederant (ad quos Canon Missæ itidem dictum putat: *accipite & manducate ex hoc omnes*) quod si mandato Christi pro eo tempore satisfactum est, nemo ex successoribus discipulorum ad panem in posterum sumendum obligabitur, quod absurdum, ostendo: Quibus dixit bibite, illis Solis etiam dixit edite. Atqui Apostolis dixit bibite. E. Apostolis, solis etiam dixit edite. Major probatur (1) ex identitate subjectorum quibus dictum est edite bibite. (2) ex identitate obligationis, quæ est in imperativo bibite, edite. Hinc quam late patent subjecta, quibus est dictum edite. tam late patent quibus est dictum bibite & contra. Ad hæc quanta vis est in uno imperativorum obligandi, tanto etiam in altero. Prius patet ex institutionis historia v. Excell. Dn. D. Hulse. cont. Hag. disp. 20. Et cur quæso, accedunt Laici papistæ sacrum hoc epulum, cum ipsis neq; præceptum sit, neq; invitati sint? Ergone veniunt ἀκλητοι? si hoc, valde impudentes esse oportet, quod vix probabile, aut erunt invitati. Si hoc E. vel à Christo sub persona communicantium discipulorum, aut invitantur à missifice per illa *edite ex hoc omnes, bibite ex hoc omnes*, aut nōrunt se aliquā extra scripturam traditione invitatos? si hoc dicunt in circulo dicunt. A sacrificulo non invitantur; quia hæc verba  
edite,



edite, bibite, solum recitative historicè & materialiter à sacerdote proferuntur, non assertive, ut illa: hoc est corpus meum juxta Jesuit. Mulman. in Disp. de Mis cont. Calixtum. E. manebit prius.

S. 21.

Inde colligo § II. Qui sunt capaces hujus sacramenti, qui beneficii indigentes, quibus dictum est *ὡσαύτως* bibite sicut manducastis, illi omnes intelliguntur. Atqui omnes homines, cū existentes tum futuri in via adhuc & foro Ecclesiæ constituti, baptizati, probationis reflexæ ac bibitionis compotes, sunt illi quibus dictum est *ὡσαύτως* bibite sicut manducastis. E. omnes homines, cum existentes tum futuri in via & foro Ecclesiæ constituti, baptizati, probationis reflexæ ac bibitionis compotes, per omnes illos intelliguntur. Antecedens supponitur ex lumine naturæ, qui dicit omnes, neminem capacium excludit. Criminantur autem qui cum Bellarm. l. 4. de Euch c. 25. nostram sententiam, de fidelibus quam infidelibus sine discrimine explicat. Cum vocabula pro subjecta materia sint limitanda. III. Quod frequentandum est usq; dum Dominus venerit, id ad solos in ultima nocte presentes non pertinet discipulos. Atqui τὸ *bibite ex hoc omnes* frequentandum est, usq; dum Dominus venerit. E. τὸ *bibite ex hoc omnes* ad solos in ultima nocte presentes non pertinet discipulos. Maj. prob. alias enim Apostoli ad illud usq; tempus superstites manere debuissent, si hoc præceptum ipsis solummodo, ut volunt, latum, exequi debuissent. V. B. Chem: Exam: Conc. Trid. p. m. 197. Minor. haberur 1. Cor. II. 26.

IV. Argument: Omnis homo sumpturus Eucharistiam seipsum probato & sic (Syrus & tunc) de pane edito & de calice bibito. At quidam Laici papistæ sunt homines sumpturi Eucharistiam. E. quidam laici papistæ seipso probant & sic de pane edunt & de calice bibunt. Maj. quoad sensum & verba est Pauli 1. Cor. II. 28. §. Quod autem illa verba sint imperantia prob. I. inducti-

S. 22.

one omniū N: T. locorum. *δοκίμαζέτω*. Gal. 6. 4. *ἐδοξίμαζέτω* 2. Thess. 3. 10. 1. Cor. II. 34. *πινέτω*. Joh. 7. 38. ubicunq; hæc ita posita reperiuntur. [2] Hinc legum formulæ. Ne esto tibi DEUS alienus. Ne facito sculptile, ne assumito nomen Dei invanum. Exod. 20. 3. 4. 7. Sic leges XII. Tab: ita efferuntur. Hominem mortuum in urbe

C

ne se



ne sepelito, neve urito, hoc plus ne facito. [3] Imo ipsum Con-  
cil. Trid. sess. 13. cap. 3. agnoscit hic præceptum. *Quare, dicitur  
communicare volenti, revocandum est in memoriam ejus præceptum  
probet seipsum homo &c.* [4] præceptum autem absolutum hic  
esse, necessario scilicet præmittendam cui libet, hoc sacramen-  
tum accessuro, probationem, & tunc comestionem & bibitionem  
sequi debere, probat, contra Cotur. c. l. cap. 6. p. 138. qui præceptum  
hic adesse concedit, at non absolutum sed conditionatum pro  
utraque specie, *precedunt enim, dicitur, verba probet se-  
ipsum homo - quibus verbis modum tantum præscribit,  
quem servare debent, si dignè bibere vel manducare velint,*  
addito simili à manuum ablutione manducationi præmitten-  
dâ planè dissimili. Nos hanc exceptionem præ occupaturi, ad  
Pauli exemplum, utramque conjunximus, probationem & come-  
stionem cum bibitione, pergo tamen: Quale præceptum est in  
imperativo, probato homo seipsum, tale quoque est in impera-  
tivo edito & bibito. Sed illud est absolutum. E & hoc Conf.  
Maj. quia utrumque eodem imperandi effertur modo & præce-  
ptum probandi, immediate connectitur per copulam edendi  
& bibendi præcepto. Neque Apostolus loquitur ex hypothese, si  
quis bibiturus est Ecclesie permissu ut id faciat præambula pro-  
batione, sed imperat absolute *πιβέτω*. Uti ergo nemini per  
Apostolum indignè accedere licet, ita nec ulli permissum, alte-  
rutram omittâ alterâ, sumere. §. (5) id ipsum insinuat Syrus,  
qui Pauli verba ita effert: *probet seipsum homo, & tunc comedat  
de pane hoc & bibat* - ut vel hinc constet omnibus, qui se prius ri-  
tè probaverint in junctum esse postea τὸ edere & τὸ bibere. Et  
annè laici papistæ, illotis quod dicitur accedunt manibus ante-  
quam sumant venerabile hoc sacramentum, aut sese non pro-  
bant, contra Concil. Trident. sess. 13. c. 7. præscriptum. Saltem  
igitur illis conditionem hanc præstantibus utramque sumere di-  
ctum erit. Arg: Omnes qui ritè sese præparaverunt, debent de  
sacro pane edere & de poculo bibere vi præcepti divini. Sed qui-  
dam laici papistæ accedentes hoc sacrum convivium, ritè se præ-  
paraverunt. [ex hypoth.] E. quidam laici papistæ accedentes hoc  
sacrum

§. 23.



factum convivium, debent de sacro pane edere & de poculo bi-  
bere vi præcepti divini. Bell. ad hoc arg. respondet, non jubet A-  
postolos ut fideles edant panem vel calicem bibant absolute, sed mo-  
dum præscribit, quo uti debent, si edere & bibere velint utiliter. R.  
accipimus quod vi veritatis largitur coactus, fideles licet non  
absolute tamen hic obstringi ad utramq; & ita argumentor:  
Quicumq; edere & bibere volunt utiliter, illi jubentur, ut sei-  
fos probent, & tunc de pane sacro edant & de calice N.T. bibant.  
Sed quidam laici papistæ edere & bibere volunt utiliter. E. qui-  
dam laici papistæ jubentur, ut seipfos probent, & tunc de pane  
sacro edant & de calice bibant. Maj. qui jubet panem edi &  
calicem bibi, utiliter vel digne, ille simul jubet panem edi &  
calicem bibi, modum enim præcipere rei & non rem ipsam val-  
de absolum est, cum modus rem ipsam includat. Ideo Vas-  
quez. Disp. 23. §. 8. citatus, dicit, qui præcipit ut opere aliquo com-  
meratio fiat alicujus beneficii accepti, ex modo ipso præcipiendi, præ-  
cipit etiam ut fiat opus opus. Ergo & hic qui præcipit modum di-  
gnè bibendi calicem, eo ipso bibitionem in jungit. Minor:  
supponitur fore quosdam laicos, papistos hodie, qui & bibere  
& edere velint utiliter in S. Coena, uti superiori seculo, multi  
fuerunt, Imperatores Reges, Principes Catholici, qui per Ora-  
tores suos restitutionem calicis à Patribus Concil. Trid. & iplo  
deniq; Papa instanter petierunt. V. hist. Concil. Suav. adde Di-  
al. Cassand. de utraq; specie. Imò de nonnullis in vicinia Lusatix  
per vim & carceres ad cõmunicadũ cũ papistis nuper adactis, cer-  
tus sum, quod calicis teneatur desiderio: his propterea ne ad no-  
stros redeant, calicem præbent, sed ut loqvuntur dilutum, quo  
tamen facto istis simplicioribus malitiosè imponunt, quasi &  
ipsis utraq; detur petentibus. §. (6) Et quid aliud insinuare vo-  
luit Paulus, quando adeò exactè & pluribus quam alius Evan-  
gelistarum hanc cœnam sub utraq; administratam à Christo de-  
scriptam Corinthiis tradidit, quam quod hic ritus verus & ge-  
nuinus sit Eucharistiam celebrandi, quem hoc quoq; nomine  
inter alia Corinthiis observandum præcepit- 17 non nudè nar-  
ravit, uti quidem temerè hoc, contra Apostolum Coturio p. 137.  
asserere nõ dubitavit: sicut Paulus, tantũ historicè per narrationẽ

S. 24.

C 2

( utramq; )



(utramq; speciem) ab aliis accepit, ita per narrationem tradidit  
sive narravit aliis. Nam falsum est Apostolum, tum utramq; spe-  
ciem, tum eorum usum ab aliis accepisse. Quicquid enim  
de hoc sacramento ordinavit, id omne ab ipso Christo imme-  
diate accepit-23.& Gal.1.ubi disertè exponit se doctrinam genti-  
bus prædicatam, ab ullo homine non esse edoctam, sed imme-  
diate ab ipso Christo. Hoc confirmat cap.2.Gal.quando demõ-  
strat, se quarto demum post decimum anno cum Apostolis suã  
doctrinam Hierosolymis contulisse, quam ita quidem proba-  
runt ut ipsi nihil novi contulerint-1.2.6. §. Argumentor. Quam  
doctrinam Paulus inter gentes prædicavit, illam ab homine nõ  
edoctus est, sed per immediatam à Christo revelationem acce-  
pit. Atqui hanc doctrinam, de sacramento sub utraq; laicis dã-  
do Paulus inter gentes prædicavit. E. hanc doctrinam de sacra-  
mento sub utraq; laicis dando, ab homine neq; edoctus est, sed  
per immediatam à Christo revelationem accepit. Min. prob. in-  
de, quod Corinthij fuerint gentes, quibus institutionem Chri-  
sti tradidit, quomodo accepit. Unde patet quia hanc doctrinã  
per aliorum narracionem non hauserit, ita neq; per narratio-  
nem Corinthiis, sed præceptionem tradiderit.-17. hoc præcipio,  
non laudans juxta vulgatam. Quid verò præcepit ita ut non  
laudaret. Primum quod in Ecclesia convenirent sacram frequẽ-  
taturi cœnam, non rite illam sumerent, id est, juxta Syrum, e-  
derent & biberent-20. Sed præmissis agapis ditiores ebrij, tenu-  
iores verò esurientes accederent. Agapas ergò illas licet ab  
Apostolis adhibitas, propter abusus abrogari, Eucharistiam ve-  
rò hoc modo celebrari jubet. Primò ut distribuendum vicem  
sustinentes panem & vinum secundum Christi institutionem  
benedicant, ac de mum ad comedendum præparatum ut & po-  
culum tradant. Deinde ut sumentes seipfos probent, ac postea  
sacrum comedant panem pariterq; poculum bibant 28. Hoc  
præcepit Paulus, Corinthiis hoc tradidit, has actiones circa S.  
Cœnæ usum à Christo institutas adeòq; semper observandas à  
Christo accepit, non pedum lotionem Job.13.14. non poculi valedi-  
ctorii Luc.22.17. divisionem acceptionem. Contra Cotur. p.141.c.1.  
§. infero. Quas actiones à Christo ad celebrandam Eucharis-  
tiam

S.25.

S.26.



stiam ut pertinentes & necessarias accepit, illas Corinthiis tradidit. Atqui has actiones, pedum lotionem, circumstantiam, temporis loci, numeri personarum, sexus &c. Corinthiis non tradidit. E. has actiones &c. ad celebrandam Eucharistiam, ut pertinentes & necessarias à Christo non accepit. Contra autem: Communicatio sub utraq; est actio quam Corinthiis tradidit. E. communicatio sub utraq; est actio quam à Christo accepit ut necessariam ad Eucharistiam celebrandam. Et quibus Apostolus ex præscripto Christi utramq; speciem dedit, illis hodie deneganda non est. Atqui laicis communicantibus Apostolus ex Christi præscripto utramq; speciem dedit. E. laicis communicantibus nec hodie deneganda est. Excipit Coturio c.l. p. 136. *Demus inquit, Apostolum utramq; speciem tradidisse, non tamē sequitur inde, eum utriusq; sumpcionem præcepisse. Nam sicut à Domino accepit, ita tradidit Corinthiis. Sed non accepit à Domino utramq; speciem cum præcepto. E. nec tradidit Corinthiis cum præcepto.* R. minor à Jesuita nude exposita, aperi te falsa est. Si enim absq; præcepto utramq; accepit, cur ipse binas usurpavit? Et cur utramq; ut ipsi volunt confecit, si absq; præcepto utramque accepit? Certe ab Apostolis missifex factus non est. Gal. 1. ut ostensum. Ergo, qui utramq; speciem à Domino cum præcepto non accepit distribuendam, ille neq; utramq; cum præcepto conficiendam accepit. Sed consequens juxta Pontificios est absurdum. E. & antecedens. Maj. quo præcepto Christus Paulo oblationem insinuavit cod. & distributionem. Invertimus verò argumentum. Quod Corinthiis cum præcepto tradidit, illud cum præcepto accepit. Ritum laicis sub utraq; communicandi Corinthiis cum præcepto tradidit. E. ritum laicis sub utraq; communicandi, cum præcepto à Christo accepit. Min. prob. vers. 17. 24. 25. 28. quod in antecedentibus satis deductum. §. Putat nihilominus Cotur. Epit. Cont. dem. §. c. 4. p. 131. hoc ipso in capite Apostolum ipsorum confirmare doctrinam. Nam v. 27. *ait Paulus quicumq; manducaverit - vel - biberit. Cum ergo particulam disjunctivam ponat, sequitur inquit, non esse reum qui solum panem digne manducaverit vel solum sanguinem digne biberit, atq;*



ita non solum salut aris est, utriusq; sed etiam unias speciei usus. Ita etiam Majer: Cont. 2. cap. 2. p. 123. si panis & calix semper necessario simul debent sumi, cur disjunctivè ait Apostolus? R. N. C. Ratio. 1. quia particula η̄ non semper est διακριτικη̄ sed sæpius συντακτικη̄ s. copulativa, uti liquet Act. 20. 33. ubi vulgata antiqua à Tridentinis canonisata, quam nemo quovis prætextu rejicere audeat vel præsumat. sess. 4. can. 4. & correctæ, cum Erasmo & Vatablo legit: aurum & η̄ argentum - Marc. 3. 34. quæ est mater mea & η̄ fratres mei. Nec tantum hic sed & apud Thucididem & Homerum pro καί, annotante Scapula, reperitur usurpata. Ideò nisi ostenderint adversarii semper & ubiq; particulam hanc esse disjunctivam, nihil hic à particulari concludent. Hoc autem loco eam non disjungere, sed distinctas unius continui actus, partes ut ita loquar, copulare probo: Primò ex antecedentibus v. 24. 25. Quas actiones Paulus secundum Christi institutionem in antecedentibus copulat, illas à se invicem hic non separat. Atqui panis esus & poculi haustus sunt illæ actiones - E. Maj. Conseq. aliàs dissentiret non tantum à Christo, qui utriusque symboli sumptionem conjunctam instituit, sed & à seipso, qui conjunctim illa tradidit Corinthiis & proposuit per τὸ ὡσαύτως v. 25 & copulam καί v. 26. 28. 29. §. Deinde ex hoc ipso loco. Quia versio vulgata non legit aut sed & ut species copulet non disjungat. Aut ergo Concilium erravit, quod pravam versionem authentici savit, aut Jesuitæ, qui hic contra Concilium sentiunt: sed potest etiam hic sensum obtinere copulativum. Addimus versionem Syriacam, cui aliàs in hoc negotio non parum tribuunt, quæ η̄ reddidit copulativè per & qui edit - & bibit. Imò hic locus obest Pontificiis magis quam prodest: Quicumq; enim fiunt rei corporis per hunc panem & sanguinis per calicem Domini, illi utiq; sumunt utramque. At quidam communicantes - E. proinde quis immediatè antecedentium sit sensus patet ex sequentibus: ille fit reus corporis & sanguinis Christi, non sub pane sed mediante calice Domini accepti. Unde Paulus ut optimus verborum suorum interpret v. 29. ita hæc verba explicat: qui edit & bibit indigne, damnationem sibi edit & bibit. Ex quibus

§. 28.



bus vi legum Hermeneuti carum ubi antecedentium & consequentium, ut & unius ex plurium interpretatione dependet, rectè infero, cum quinque utramq; connectat speciem, Pauli mentem longè à Papistarum abesse, quod insuper docet. v.28. ubi sub lege injungit cum probatione & panis & poculi sumptionem. §. Hinc arguo: Quicumq; unius speciei ab alterius usurpatione contra Christi institutionem & Pauli præceptum disjungunt, illi non tantum indignè communicant, sed etiam nullius speciei usum sentiunt. Papistæ &c. E. Tandem, si illa, particula est disjunctiva, speciem alteram disparans ab altera, cur non permittunt laicis libertatem quam velint sumendi speciem, cum æq; poculum bibere possint dignè juxta illos, ac comedere panem. Quæ enim species salutaris est absq; altera illa sumi potest à Laicis. Atqui species vini salutaris est, juxta illos, absq; specie panis. E. species vini potest sumi à laicis. Quod ad versatur misificis poculi haustum ex institutione Christi, sibi solis vindicantibus.

§.29.

V. Argum: Quibus Christus utramq; speciem instituit, illis utramque præcepit. At omnibus communicantibus utramq; instituit. E. omnibus communicantibus utramq; præcepit. I. Major: Quia omnis institutio (facti) conjuncta est cum præcepto. Nam Quod obligat hominem ad faciendum voluntatem instituentis, id cum præcepto quoq; conjunctum est. Atqui omnis institutio obligat hominem ad faciendum voluntatem instituentis. E. omnis institutio cum præcepto conjuncta est. §. Declarabo ulteriq; Quicquid Deus instituit, id hoc sine instituit ut a. fiat a. non fiat. Si posterius, frustra instituit, si prius datur, quod verum est, pergo: Quicquid proponitur hoc fine, ut fiat, istud ad faciendum obligat, illos, quibus proponitur. Atqui institutio divina proponitur hoc fine ut fiat. E. institutio divina, ad faciendū obligat, eos quib9 proponitur. Maj. probatur inductione institutionū divinarū, & politicarū. Sic divinæ ordinationes de ritib9 sacrificiorū in V. T. obligabāt eos quib9 erāt latæ, Judæos. Ita magistratus instituta sunt obligatoria, quibus ad satisfaciendum talia ordinantibus monentur. Quod si hominū  
insti-

§.30.



§. 31.

instituti hoc debetur, quid ni ipsius Dei? Cum huic multo magis obediendum sit quam hominibus. Act. 5. 29. (2) Bell. l. 4. de R. P. c. 16 vult instituta præfulis Romani obligare omnes in conscientia. Quod si verum, multo magis Christi obligabunt, cum Pontificis Romani instituta meliora Christi sed deteriora potius sint. Ita scilicet hominum instituti tribuitur, quod denegatur divinis! Hic autem observo ex B. Meisneri. P. S. p. 2. p. 712. Distinctionem, inter institutionem ritus sive facti & institutionem officii. De illa intelliguntur dicta non de hac. §. Explico, institutionis vox cum sit æquivoca, triplici potissimum sumitur modo. (1) vel enim significat ordinationem status, officij vel vitæ generis, Ecclesiastici, Politici, l. Oeconomici: quo sensu institutio nihil aliud est, quam ordinatio, promulgatio alicujus rei s. officij. [2] notat institutionem personæ, ad certum officium, quæ alias dicitur, introductio, quo in significato reperitur in Jure Can. in Titul. de instit. c. 4. Decretal. & Sumitur pro investitura c. ad hæc de Offic. Archidia: Ita Exod. 18. 21. 25. dicitur Moses consilio Jethronis principes &c. constituisse, qui rebus præessent judicandis facilioribus, de difficilioribus verò ad Moysen referrent. (3) Sumitur pro alicujus certæ rei ab hominibus faciendæ ordinatione. Hoc modo dicitur circumcisio, agnus paschalis, & in N. T. paedobaptismus S. Cæna, institutio. Hæc aliàs etiam dicitur institutio ritus s. facti, hanc cum præcepto volumus esse conjunctam ad eòq; obligatoriam, quia exprimit voluntatem Dei, cui satisfaciendum. Quando igitur nostri Theologi concludunt ab institutione ad præceptum, non quamcunq; intelligunt, sed quæ est facti sive ritus. Pervertit ergo nostrorum quod solvere nequit argumentum. Bec. man. l. 1. c. 9. p. 236. & ex eod. Coturio Ep. Cont. p. 140. quasi concluderemus. Quicquid à DEO institutum est, id omnibus est præceptum. Hinc subsumit *ordo Ecclesiasticus &c. Matrimonium à Deo est institutum. E. matrimonium est omnibus præceptum.* Hoc ipsius cum sit, facile absurdum esse damus. §. Nostrum est: Quibus hominibus Deus aliquid instituit, illud ipsis præcepit. Jam subsume. At quibus matrimonium instituit, illis hominibus  
Deus

§. 32.



Deus aliquid instituit. E. quibus hominibus matrimonium in-  
stituit, illis hoc ipsum praecepit. perge. Continere non valenti-  
bus matrimonium instituit. 1. Cor. 7. 9. E. continere non valen-  
tibus hoc ipsum praecepit. E. dictis pariter respondeo. Objicien-  
ti Becano, *ordinem Ecclesiasticum, predicationem Evangelii ba-  
ptizandi officium esse instituta, non tamen ex praecepto teneri omnes  
suscipere ordines Ecclesiasticos, predicare &c.* Nec enim dicimus  
omnibus ista praecipi (imò nulli ordines papisticos) sed tamen  
iis qui legitimè vocantur. Qui enim ad hoc munus vocantur,  
illi ad exsequendum istud sunt obligati, mediatè per institutio-  
nem divinam. Propterea mirum non est, quod simplex haec  
institutio non omnes obliget: cum supra distinctum sit, inter  
institutionem ritus sive facti, & simplicem status. Ideòq; ni-  
hil ad nos, quando Bec. cl. dicit: *similiter haec non valet: Com-  
municatio sub utraq; à Deo instituta est. E. omnibus praecipita est.* Sci-  
mus infantibus praecipitam non esse. Ista collectio nostra non  
est sed Jesuitæ. §. II. prob. Minor: quod utraq; species omnibus  
communicantibus sit instituta. De clericis conscientibus lar-  
giuntur de laicis, proinde probò. Quibus institutio utriusque  
speciei tradita & praescripta est, ad illos utriusque speciei institu-  
tio pertinet. Atqui laicis communicantibus institutio utri-  
usque speciei tradita & praescripta est. E. ad laicos communican-  
tes utriusque speciei institutio pertinet. Maj. probatur: in civili-  
bus constitutionibus hoc obtinet, ut ad eos, quibus, lex, man-  
datum, institutio, ordinatio, testamentum &c. datur praescribi-  
tur promulgatur, pertineat, mandatum institutio &c. multo  
magis in divinis. Min. 1. Cor. 11. 23. ubi docet Apostolus se à Do-  
mino accepisse, quod Corinthiis etiam laicis tradiderit. Sed in-  
stitutionem utriusque speciei à Christo accepit. E. in-  
stitutionem utriusque speciei Corinthiis etiam laicis tradidit.  
Quæ autem hic Apostolus de recte Cæna usu praescripsit, illa ad  
reliquos pertinent Christianos communicaturos. Quos enim  
mortem Domini annunciare in Eucharistiæ usu jubet-26. proba-  
tionem ante sumptionem sacramenti praecipit-26. ad illos per-  
tinet quod Corinthiis de S. Cæna tradidit. Atqui omnes com-  
municaturos mortem Domini in Eucharistiæ usu annunciare  
jubet.

53

B

jubet.



jubet; probationem- præcipit. E. ad omnes communicaturos, pertinet quod Corinthiis de S. Cæna tradidit. V. B. Chemn. Ex. C. T. de comm. sub utraq; p. m. 197.

§34

VI. Argum. Nulla pars essentialis Eucharistiæ negari debet communicantibus laicis. Atqui sanguis novi testamenti, qui mediante poculo datur est pars essentialis Eucharistiæ. E. sanguis novi testamenti, qui mediante poculo datur negari non debet laicis communicantibus. S. Maj. concedit Cotur: c. l. p. 139. c. 6. Min. prob: Matth. 26. 28. *bibite- hic enim est sanguis meus Novi Testamenti.* Unde infero: Quibuscunq; subtrahitur poculum Novi Testamenti, illis subtrahitur sanguis (N. T.) Jesu. Atqui laicis papistis subtrahitur poculum Novi testamenti. E. laicis papistis subtrahitur sanguis (N. T.) Jesu. Major: Con: Quibuscunq; auferatur id, quo solo mediante sanguine novi testamenti Christus dari instituit, illis subtrahitur sanguis (N. T.) Jesu. Sed quibuscunq; subtrahitur poculum novi testamenti, illis auferatur id, quo solo mediante, sanguinem novi testamenti Christus dari instituit. E. quibuscunq; poculum novi testamenti subtrahitur illis subtrahitur sanguis [N. T.] Jesu. Major clara est, quod & innuit Becan. man. l. i. c. ii. quando de materia & forma sacramentorum disputat. *Eucharistia, inquit, perficitur rebus & verbis: non tamen utrisq; constituitur: sed tantum corpore & sanguine Christi, sub specie panis & vino.* Quanquam hic principium petat, Eucharistiam tantum constitui corpore & sanguine Christi, id tamen verum est, quod corpus sub specie panis & sanguinem sub specie vini velit esse sacramentum sive Eucharistiam, licet non sit integrum. v. etiam ib. p. 238. *Si adsit (Christus) non tamen sub simbolo panis aut vini ne tunc quidem sacramentum est.* Minor. i. Cor. ii. 25. *Hoc poculum novum testamentum est.* Hoc ergo mediante eoque solo Christus sanguinem N. T. instituit dari, quod adversarios tamdiu fateri oportebit, quamdiu ex tabulis testamenti, Christum etiam sanguinem hunc sub pane dari promississe aut dedisse, demonstrare nequeunt. Sanguis enim qui juxta illos sub specie uti loquuntur panis datur, non est sanguis Novi testa-



stamenti, quia hic illo sub symbolo non est institutus. Et unde  
quæso indubitato hæredibus innotescit, hanc esse partem lega-  
ti non item illam, hoc pertinere ad testamentum non illud, ni-  
si ex tabulis testamenti? Quodcunq; ergo non scriptum reperi-  
tur in tabulis testamenti, illud non est pars testamenti s. legati.  
Sanguis concomitans sub specie panis nõ est scriptus in tabulis  
testamenti. E. sanguis concomitans sub specie panis non est pars  
testamenti. E. neq; hæredibus, ut pars testamenti recipitur, &  
neq; sanguis Christi à laicis papistis. S. Solent quidem strenuè  
negare calicem esse partem sacramenti essentialis, uti è Cotu-  
rio. ep. Cont. dem. 5. c. 6. liquet: utraq; *species non pertinet ad sub-*  
*stantiam sacramenti, cum sub utraque sola omnia substantialia sa-*  
*cramenti reperiatur corpus & sanguis &c.* Sed malè contra insti-  
tutionem Christi, sacramentum interpretantur, tantum de  
corpore & sanguine Christi, quasi verò panis & vinum, cum a-  
ctionibus eo pertinentibus sacramentum non sint. Ex collati-  
one autem reliquorum sacramentorum indubitato talium, sci-  
mus quod omne symbolum sacramenti sit pars essentialis.  
Calix autem est symbolum. E. Et quorsum pertinet materia  
Eucharistiæ terrestris? an ad substantialia? At utraq; speci-  
es, panis & vinum, est materia Eucharistiæ terrestris. E. Si autem  
cum Cotur. c. 1. ad accidentalia referantur, quid obstat quo mi-  
nus in totum removeantur. Cum absq; talibus separabilibus  
salva manere possit alicujus rei essentia. Estõ sint saltem  
partes integrantes juxta Bell. l. 4. c. 23. S. *utraq;*. Argumentor. Qui-  
cunq; aufert partem Eucharistiæ integram ille mutilat Eu-  
charistiã. At quicunq; laicis calicem subtrahit, ille aufert  
partem Eucharistiæ integram. E. quicunq; laicis calicem sub-  
trahit, ille mutilat Eucharistiã. Maj. manifesta est ex definiti-  
one partium integrantium. Ubi quidem scire pervelim, quas  
intelligant, an principales vel minus. Si priores, essentia Eu-  
charistiæ, uti demptis in homine partibus integranibus præci-  
puis, capite, corde epate, perit. Si posteriores, possunt  
ambæ tolli species, salva Eucharistiæ, uti hominis essentia,  
dempto pede vel brachio, sed non absq; mutilatione totius in-

S. 35.



tegralis. §. Unde Papa Gelasius in 3. part. Decret. dist. 2. cap. 12. rectè decrevit, ut communicantes *sacramenta integra percipiant, aut ab integris arceantur: quia divisio unius ejusdemq; mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire.* Ubi advertit, quod hic Papa unius ab alterius speciei sejunctam sumptionem, dicat sacrilegium. Contra verò Papa Pius IV. approbarit ut bonum factum in Concil. Trid. sess. 5. c. 2. *Et pro lege habendam decrevit.* Nec mirum, communionem enim laicorum sub utraq; instituit & approbavit Christus. 1. Cor. 11. 23. & seqq. Communionem verò laicorum sub utraq;, hodiè reprobavit Pontifex Romanus. E. quoddam quod Christus instituit & approbavit, id hodie reprobavit P. R. Quia scilicet est Christi vicarius! Adde quod nulla pars quocunq; nomine veniat testamenti Christi mutari Gal. 3. 15. aut legatariis invitis subtrahi debeat. Sed calix sacer est pars testamenti. 1. Cor. 11. 25. E. calix sacer, non mutari aut legatariis invitis subtrahi debet. Maj. procedit à minori ad majus: in civilibus hoc nemo impunè & citra crimen furti facit. Ergone in testamento Christi, quod libet licebit? §. Sufficit nobis quod calix sit pars institutionis Christi sacramentalis. E. non potest iis quos institutio respicit jure afferri, si Salvatoris nostri institutionem vis esse factam tectamq; qualem perversionem ne quidem secularis princeps in suo ferret subdiro. De *trina immersione* quam toties hic crepant cum Bee. l. 1. c. 9. p. 277. prorsus dispar ratio est: quia binam vel trinam Christus non instituit neq; ulpiam expressit, uti hic quidem speciem utramq;. Neq; una, bina aut trina immersio est pars baptismi integralis multò minus essentialis, cum celebrari possit aspersione. Conferri ergo utraque species cum trina immersione non potest, sed potius cū Symbolo aquæ, uti autem hoc tolli non potest ita nec illud Symbolum Cænæ. Esse vero institutum cum pane calicem docet Paulus- 25, qui in una continua actione cum panis esu porrectionem calicis per τὸ ὁσούτως conjungit, respicit enim non unam Christi actionem sed copulat omnes antecedaneas Sacramenti cum sequentibus. Contra Cotur. c. 1. p. 139. licet in sese nullum contineat præceptum nec enim hoc ex isto vocabulo deduc-


§. 37.



deducimus. §. Tandem Apostolus qui interpretationem ul-  
 timæ Christi voluntatis, ab eodem immediatè accepit, ut indi-  
 vullas unius institutionis partes recitavit & Ecclesiæ Corinthi-  
 acæ & in eadem laicis sumendas conjunctim tradidit ac præ-  
 scripsit. Quod adeò clarum est ut Constant. Concilium sess. 5.  
 cap. 1. fateri oportuerit, *Christum in ultima Cena venerabile hoc*  
*sacramentum instituisse & discipulis tradidisse. Tamen hoc non ob-*  
*stante*, contra Christi institutionem dispensando, laicos ab al-  
 tera arcendo, consuetudinem sub una communicandi pro lege  
 habendam decrevit. c. 2. Quoscunq; ergo tandem species vo-  
 centur nomine, sive cum Becano man. præl. 12. poculum Nov. T.  
 sanguinem dicas, quo sancitum est N. T., aut cum Paulo. Rom. 4.  
 n. sigillum appelles aut cum nostris partes vel cum Bec. l. i. c. 9. co-  
 dicillos (ut ut valde abusivè) nomines, non effugies crimen fal-  
 si vel furti, si alterutrum abstuleris. Ostendo. Quicumq;  
 de testamento sigillis munito, unum aufert sigillum, ille falsari-  
 us testamenti est &c. At verò quicumq; de testamento Chri-  
 sti speciem alteram laicis subtrahit, ille de testamento aliquo  
 sigillis munito unum aufert sigillum. E. quicumq; de testamen-  
 to Christi speciem alteram laicis subtrahit ille falsarius est testa-  
 menti &c. Min: constat è prædictis. Majorem probant DD. J. Cti  
 ex l. Cornel. de fals. v. Bach. in Wesenb. & Treutler. in h. l. §. Nihil-  
 omnius quærit hic Coturio p. 142. ex Lutherano, quando sub u-  
 traq; specie communicat, an primo sumpta sola specie panis to-  
 tum Christum sive omnia essentialia Christi sumpserit, an verò  
 tantum ejus partem? R. inspicienda hic est voluntas Christi ul-  
 tima, quæ quantum dari promisit, tantum etiam sub pane su-  
 mitur, corpus verò suum non sanguinem mediante pane dare  
 promisit. Et ita mentem Christi interpretatus est Paulus 1. Cor.  
 10. 11. Deinde distinguimus inter unionem Christi personalem,  
 naturalem, & sacramentalè, & ortam inde præsentia. Hinc dico,  
 quia Christo sacramentaliter præsens est sub pane, nō sumimus to-  
 tū Christū sive omnia essentialia, sed tantū corp⁹ mediante hoc  
 symbolo, tantum sanguinem sub vino animā a. ejusq; divinita-  
 tem sub neutro (crassas n. cogitationes qua unum unitorū cū al-  
 tero deglutiri concipitur ab hac mysteio ab esse iubem⁹, quia  
 de his ex testamēti tabulis nihil cōstat, adeoq; qui unā speciem  
 acci-



accipite, nō totū sacramentū à Christo institutū recipiunt, neq; edentes corpus Christi, sanguinem ejus sacramentaliter bibūt, ob distinctam hujus ab esu panis institutionem. Sanguinem interim nemo naturaliter separat, multo minus animam aut divinitatem, quicunq; distinctam corporis & sanguinis sumptionem urget. Aliàs neq; Salvator, distinctis sub symbolis illa exhibere potuisset. Et quomodo sacrificiali corpus tantummodo sub pane conficiunt non item sanguinem, si sanguis sacramentaliter à specie panis ab esse nequit? §. 40. *S. Ais, totum sacramentum sumi (sub una specie) quia ibi totum sacramentum est, ubi omnia sunt, qua ad totum sacramentum requiruntur. Sunt autem hæc significatio & causalitas. R. petis principium, dum eundem effectum tribuis, uni speciei separatim sumptæ, qui convenit utriq; ex Christi ordinatione. Imò nullus sequitur effectus, ubi sacramentum contra institutum & præceptum Christi celebratur. Deinde sanguis Christi sub pane non est sacramentum, quia sub pane non est institutus. Imò multi doctissimi Papistarum, contrariam de effectu & significatione unius speciei sustinent sententiam, qui vid. ap. Plur. Rev. D. Præs. in Matæol. Pap. col. 280. Tandem non potest nodum, quem quidem sed frustra aggreditur p. 143. solvere. Ubicunq; omnia essentialia sacramenti bis sunt, ibi duplex est sacramentum. Sed sub utraq; specie, omnia essentialia bis sunt, in uno individuo actu sumptâ. E sub utraq; speciē in uno individuo actu sumptâ duplex est sacramentum. Min. nititur concomitantia. Contra verò ex Christi voluntate scimus, duas species unum integrare sacramentum, non constituere duplex. Proinde manet, quod initio posui argumentum. Ecclesia moderna Papistarum contra præceptū Christi alteram subtraxit laicis speciem. E. est falsa, non Apostolica &c.*



**A**usoniam infandum turbam committere furtum  
MORGENBESSERI pagina testis adest.

Sacri-



*Sacrilegam dicas, animarum quippe salutem  
Invidet hac aliis invidiosa cohors.  
Tu DEVS, à nostris fures regionibus arce,  
Cum verbo puro pura tuere sacra.*

Fautori suo gratulab.  
scrib.

**M. JACOBUS Reichman/**

Fac. Phil. Adj. S. W. C.



Ad

PRÆSTANTISSIMUM

**DN. RESPONDENTEM,**

Disputationis Autorem, Sympatriotam & Amicum  
plurimum colendum.

**S**acrilegiis ausis sicut Sacra cuncta prophanat.

Illa decemcornis bestia, plena dolis :

Sic quæ grata sui CHRISTUS monumenta reliquit

Pocula, sacrilegâ sustulit illa manu.

Hunc furem calicis MORGENBESSERE revelas,

Nunc ubi grassatur finibus in Patriæ,

Atq; doces solide Cænam specie sub utrâque

Præbendam cunctis ordine Christocolis.

Rem multis gratam præstas ac tempore dignam.

Præmia pro tanto Jhova labore dabit.

**M. ABRAHAMUS SCHULTETUS**

Vetschoviâ-Lusatæ.





JACOBUS DE GORNIANO

LIBRARIUS

CONDENTEM

ABRAHAMIS SCHULTZIS





05 A 144

ULB Halle 3  
003 766 322




V317











I. N. J. 26.  
**DEMONSTRA-**

**TIO CATHOLICA,**  
**Ecclesiam Papistarum non esse**

*Apostolicam, ob calicem Domini, laicis communicanti-  
bus, contra praeceptum Christi surreptum.*

*QVAM*

*Superiorum permissu.*

*P R A E S I D E*

*VIRO PL. Reverendo, Amplissimo, Excellentissimo,*

**DN. ABRAHAM CALO-**  
**VIO, S.S. THEOL. D. ejusdemq;**

*Prof. Publ. longè Celeberrimo, Consistorii Ecclesiastici gra-  
visimo Assessore, Ecclesiae Pastore & Circuli Ele-  
ctor. Superintendente Generali.*

*Dn. Patrono ac Praeceptore observanter colendo;*

*publicè sistit*


*Responsurus*

*A.*

**SAMUEL Morgenbesser**

*Sora-Lufatus.*

*In Auditorio Majori ad d. 21. Septemb.*



**WITTEBERGÆ,**

**EXCUDEBAT JOHANNES HAKE, M DC LIII.**